



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

4. S. Udalricus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## Festum S. Udalrici Augustanæ

Diœcœeos Patroni, & Thavimatur-  
gi Clementissimi.

## EXHORTATIUNCULA I.

**O** Parvulum cœlo natum ! Ut puerulus ab omni jam refugit intemperantia, habitu, sensu, vultu, & moribus simillimus angelo. O fili ! quot, & qualia in S. adolescentulo habemus documenta ! Sunt alia pericula ! sunt & alia tempora nobis ! Ni nos observaverimus rigidè, immodestia, & ingluvies prævalebunt sæpiùs.

*Instructio meritoria.*

In quolibet corporali solatio recordemur reflexè intentionis rectæ cum protestatione sancta : *Domine Jesu ! Non corpus, non gustum, sed animam, & mentem refice.* Ideò & consultum, ut memoriter discamus Rhythmum amoris : *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me.* O quam dulcia & jucunda in eo latent pascua !

## II. Mag-



## II.

**M**Agnes erat S. Udalricus Verbō, & exemplō, plus tamen exemplō Carnibus vescebatur nunquam. Nudum humō utebatur lectuli locō, cum D. Paulo dicens corpori suo: Castigo te, & in servitutem redigo, ne, cūm aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniam. O fili mi! Qui placet hoc Udalrici virtus, & austерitatis genus, atque relictum ad sequelam exemplum? Sumus, & vivimus inter homines: Væ nobis, si minus exemplares!

*Instructio meritoria.*

Scandalum inter Christianos ò quantum malum! Ut nostrā pietate impediamus, & viros in spiritu, & virtute magnos excitemus, quorum sanctitate absterreantur mali, versus quatuor mundi plagas flectentes recitabimus tria Pater, & Ave cum totidem: Benedicamus Patrem, & filium cum Spiritu Sancto in secula seculorum, Amen. Ubique offenditur Deus! Nunquam ergo otietur pietas, & Christiana virtus.

## III. Ut



## III.

**U**T Hunnos vinceret S. Udalricus, ab Angelo S. Crucem accepit, & inimicos Christiani Nominis à patria gloriōse ejecit. Fili! Amamūsne Vexillum S. Crucis? & tamen nobis timemus inter inimicos? O nos modicæ fidei! miles in conspectu Ducis spernit vitæ pericula: & Christianus in præsentia Christi Crucifixi contremiscat? Ubi fides? Spes ubi? qualis Charitas?

*Instructio meritoria.*

Detestemur nostram pusillanimitatem, & inordinatam tristiciam tempore adversitatum: Resumamus animos cum spiritu, & audacter pro Deo, cœlo, & nostrâ decertemus æternâ gloriâ. Quibus signis, aut armis? Manè & nocte nos, & cubiculum nostrum signemus quam diligentissimè illa pronuntiantes: verba: *Iesus Pax Domini Nostri Iesu Christi;* & *Virtus Sacratissimæ Passioni ejus;* signum S. Crucis, & titulus triumphalis: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum &c.* Ecce! Crucem Domini! Fugite partes adversæ!

Fe-